

vniat et coniungat. Quod si Romanae Ecclesiae discre-
tio prouida pro loci qualitate vel personarum cu-
ra aliquas in aliquo necessario duxerit dispensan-
dum , aliae, quae simili dispensatione non indigent
suum firmiter propositum custodian et obseruent.
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
nostrae confirmationis infringere , vel ei ausu te-
merario contraire. Si quis autem hoc attentare
praesumserit, indignationem Omnipotentis Dei
et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se
nouerit incursum. Datum Lugduni idibus No-
uembbris, Pentificatus nostri anno III. “

E Wadingi Annal. Ord. Minorum Tom. I. p. 313. sq.
Clarissae vetustissimis temporibus fuerant apud nos Ve-
tero Budae, Tirnauiae , ac Posonii susceptae.

*4. Ch. 1247. Bela R. H. portiones terrae Bartfa per Teu-
tonicos de Eperjes occupatas Fratribus Ordinis Cisterc.
Ecclesiae S. Aegidii de Bartfa, metis designatis re-
stituit.*

Bela, Dei gratia , Hungarie, Dalmacie, Croa-
tie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cum-
anieque Rex: Omnibus Christi fidelibus, presentem
paginam inspecturis salutem in omnium Saluatorem.
Ad Vniuersorum tam presentium quam postero-
rum notitiam, harumque serie litterarum volumus
peruenire: Quod accedentes ad nostram presentiam
quidam Fratres de Coprynincia, Cisterciensis Or-
dinis, apud Ecclesiam Sancti Egidii de Bardfa,
prope Sarus commorantes, suis nobis curauerunt
insinuare querimoniis, quod Theutonici de Epuri-
es metas terrae ipsorum Bardfa vocabulo , vbi su-
pra dicta Ecclesia est sita, auctoritate propria de-

struxissent, eleuantes in praeiudicium et grauamen ipsorum metas falsas de nouo, quarum occasione terminos terrae praedictorum Fratrum transgredere attentantes, non modicam partem terrae eorumdem indebite occupando. Verum, quia nostri incubit officio, iura quorumlibet illibata et illesa obseruare, nostro fidelis Tegus Comiti de Sarus, dedimus in mandatis, quod tam terram Bardfa, quam etiam alias terras ad ipsos fratres pertinentes, quae fuerant ab eis alienatae, nostra circuaret auctoritate et erectis nouis metis iuxta veteres metas, easdem restitueret Fratribus antedictis. Idem vero Comes Tegus hoc nostrum nolens preterire mandatum, sicut nobis retulit viua voce, et etiam in litteris suis insinuare curauit, totam terram Bardfa vndeque circum eundo et nouas metas iuxta veteres erigendo, memoratis Fratribus restituit, et ut de cetero tota materia quaestionis controuersiae sopiretur, easdem metas, prout in litteris ipsius Tegus Comitis vidimus contineri, suo ordine, nostro fecimus interseri priuilegio, que tali ordine distinguuntur; Prima meta incipit a quodam riuulo, qui nuncupatur Kisthopul, et ibi immediate tenent metas cum Cruciferis de Gyboltho, ab hinc ascendit versus Aquilonem per Syluas, peruenit ad quemdam montem; vbi oritur quidam fluuius, qui vulgo dicitur Orronospot-hok; deinde vadit per syluas ad caput cuiusdam riuuli, qui vocatur Monupothok; inde vero transit per montana ad unum fluuium, qui dicitur pri-chikyn; ab hiuc descendit per syluas ad caput cuiusdam riuuli nomine Kysberetnek; inde vero protenditur ad Lopuhmezew, et ibi est meta terrea; ab hinc vero transit ad Burcuth, deinde ascendit

ad montem qui dicitur Macowcha; inde vero vadit ad caput cuiusdam riuuli nomine Breznicha; deinde protenditur et transit ad caput vnius riuuli nomine Noggrabovch, et idem Grabovch intrat in quemdam fluuum Thopul nomine, et inde vadit per syluam ad caput cuiusdam riuuli, nomine Kiolocoycha; inde vero vadit per syluosam terram ad Chellewsmezew, et ibi est meta terrea; inde vero transit ad praeium riuulum, qui nominatur Thorycha, et per eundem riuulum Thoricha, intrat in aquam Thopul et ibi terminatur. Item prima meta predii, quod vocatur Zwkchu incipit in littore fluii Zwkchu a parte orientali, et vadit ad partes meridionales, inde vero transit per planiciem ad dumum, qui dicitur Reketiabucur, deinde ad viam regalem, inde vero per nouas et veteres metas cadit iterum in Zwkchu, et sic terminatur. Item prima meta predii Delnafew, quod pertinet ad fratres predictos, incipit a parte Orientali et vocatur Sydovpothok, vbi sunt mete terree, et per regalem viam vadit ad fluum Delnafew, et per eundem fluum Delnafew, et per eundem fluum ascendendo, vadit iterum ad Thopul, deinde per syluosam terram reuertitur ad Sydopotoka, ad metam priorem et sic finitur. Ut igitur haec nostra descriptio salua semper et inconcussa permaneat, ad instantiam fratrum sepe dictorum presentes concessimus litteras, duplicitis sigilli nostri munimine roboratas. Datum ab incarnatione Domini Millesimo, ducentesimo, quadragesimo septimo. Septimo idus Nouembris, regni autem nostri anno tredecimo. "

Transumtae a Wladislao R. H. anno 1500. ab Ecclesia de Jaszow 1547. eruit D. Podhrászky.
